

DE PONDERIBVS.

scribēs, simile esse cornuī dicit, et duos Chō
as capere, & ideo solis heroībus dari, ut po-
te bibacioribus. Nam & regibus Spartano-
rum in cōuiuio Cotylas bīnas dari solitum
fuisse, apud Herodotum legi, cum cæteris
sola Cotyla daretur. Vnde ostenditur ali-
quanto parciores uini ueteres fuisse, q̄ nunc
nostrates homines sint. Nam & Græca can-
tio Plauti in Sticho, solos denos Cyathos
concedit. Horatius nouem, quoniam tres
prohibet supra, rīxarum metuens tangere
gratia. Interpres tamen Aristophanis, et Su-
idas ab hac sententia dissidere uidetur, qui
cotylas octo in Attico Chœo esse dixerūt,
quasi Athenienses cum in Chœnīce a cæte-
ris dissentirent, quam alii Chœnīca dicebāt
ipsi Choa appellarent. Quo sit necessario,
ut duplīcē Choa eos habuisse dicendū sit:
alterū, quo in humidis forte utebant̄, mino-
rē: alterū, quo in aridis maiore, uasculū eiñ
triticeū Chœnīce angustius nullū ipsi habe-
bant. Amphora quoq; nō eadē Atheniensi-
bus et cæteris Græcis fuit. Quandoquidem
Palæmon scribit, nostra amphora Atticam
maiore etiā Vrna fuisse, unde cōsequens est
ut Sextarios habeat duos & lxx. sitq; eadē
mensura, quā illi Medimnū dicunt, nisi q;
hæc liquidorū, ille tritici erat. Cæteri Græci,
ut in

Ampho-
ra.